

quod bonum opus morale naturalis ordinis¹. Iste tamen concursus generalis potest et debet dici aliquo sensu speciale auxilium gratiæ.

*Probat*ur prima pars². Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur. Ergo potest, per virtutem relictam suæ naturæ, sub concursu Dei generali, aliquod bonum opus morale facile facere; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, sed non potest perfecte moveri, nisi sanetur.

*Probat*ur et explicatur secunda pars. Juxta ea quæ dixi art. 1 hujus dissert., n. 8, iste concursus seu motio Dei generalis potest considerari dupliciter: 1^o respective ad naturam secundum se; 2^o respective ad hoc vel illud individuum hujus naturæ, cui præ alio datur.

Considerata respective ad naturam secundum se, non debet dici auxilium speciale nec gratuitum, sed generale, quo Deus movet unumquodque secundum suum modum. Cum enim bonum rationis in natura non sit totaliter corruptum, nec voluntas sit confirmata in malo, sicut in dæmonibus, sed attenuata tantum et vertibilis in bonum et in malum, non exigit influxum communem quo semper moveatur in malum, sed quandoque in bonum rationi conforme. Et ideo quod quandoque moveatur in bonum, non est auxilium mere gratuitum, quia quodammodo debetur; neque speciale, quia non est ex speciali gratia et providentia, sed secundum leges communis providentiæ, quæ naturas defectibiles et vertibiles in bonum et malum quandoque movet ad bonum suæ naturæ, quandoque permittit deficere.)

Considerata vero respective ad individuum cui præ altero datur, debet dici auxilium speciale et gratuitum; quia, quamvis naturæ debeatur ut aliquando moveatur in bonum, quod tamen hic homo moveatur hic et nunc in bonum præ altero, non debetur illi potius quam alteri qui

1. Hic q. 109, a. 2, o. — 2. Ibid.

permittitur deficere, sicut ipse deficere poterat. Unde est illi gratuitum, quia non debitum, et speciale, quia ex speciali benevolentia et providentia.

Hac distinctione posita, conciliatur in hac parte discordia Thomistarum, quæ non potest esse nisi de nomine. Item conciliantur varii textus Scripturæ, conciliorum, SS. Patrum, præsertim S. Thomæ apparenter contrarii, ita ut supervacaneum sit illos exponere. Indeque habemus vere dictum esse a conciliis et Patribus, singulariter ab Augustino, quæcumque bona fiunt, sive ab infidelibus, sive a fidelibus, sive a peccatoribus, sive a justis, tam magna quam parva, tam supernaturalia quam naturalia, esse dona Dei, atque ejus auxilio speciali et gratuito esse referenda, consequenter necessitatem orationis et gratiarum actionis in his omnibus habere locum, et de omnibus posse vere dici cum Apostolo, I Cor., iv, 7: *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?*

(*Petes* cur damnata fuerit hæc propositio Baii, n. 27: « Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet, » dum hæc altera: « Nemo habet de suo nisi peccatum et mendacium, » fuit asserta a concilio Arausicano II, can. 22, cum utraque sensum eundem habere videatur.

Resp. Nego utramque propositionem sensum eundem habere; magis enim late patet propositio concilii quam propositio Baii. Sensus propositionis concilii est, neminem habere de suo, sic nimirum ut nullatenus acceperit a Deo, nequidem ut primo motore, nisi peccatum et mendacium. Et hoc est verum; illud enim homo dicitur habere de suo, quod ei sic proprium est et a semetipso habet, ut nullo modo habeat a Deo, et ideo canoni laudato fuit præfixus hic titulus: « De his quæ hominum sunt propria. » Sic autem homo solum habet peccatum, quod tantum est ab homine, sed non a Deo. Propositio autem Baii minus late patet, maxime in sensu Baii, non solum quia nomine gratiæ simpliciter et proprie dictæ intelligitur gratia supernaturalis data per Christum, sed maxime quia Baius per

gratiam intelligebat gratiam sanctificantem. Sensus ergo propositionis Baianæ est : Liberum arbitrium sine gratia proprie dicta, imo sine gratia sanctificante, nonnisi ad peccandum valet. Quod est falsum, ut vidimus.])

ARTICULUS IV

De necessitate gratiæ ad amorem Dei naturalem super omnia, tam affectivum quam effectivum, et ad vitanda peccata.

< Quæstio non est de amore naturali innato, qui est veluti naturale pondus in bonum cuique proprium, neque de amore elicitio necessario, qualis reperitur etiam in brutis, neque de amore libero inefficaci, qui est solum complacentia de bonitate Dei, non inferens media ad placendum Deo, neque removens impedimenta peccatorum ; sed de amore naturali libero et amabili efficaci : et hic est duplex, effectivus et affectivus. Amor efficax affective tantum, est simplex actus voluntatis quo homo se et omnia refert in Deum ut ultimum finem, cum proposito ipsi per omnia placendi et removendi omnia quæ ipsi displicent ; quod est Deum super omnia appetitive amare. Amor efficax effective non est singularis actus, sed est executio dicti propositi, seu actualis observantia mandatorum naturalium : si omnium, dicitur effectivus simpliciter ; si aliquorum tantum, effectivus secundum quid.

Dico 1° : Homo lapsus non potest solis naturæ viribus, sine gratia reparante, diligere Deum super omnia dilectione affective efficaci 1.

Probatur 2. Potentia infirma, corrupta et curvata in bonum proprium contrarium divino, non potest exercere erga Deum actum præstantissimum potentiæ sanæ, nisi sanetur. Atqui voluntas hominis lapsi est infirma et curvata ad bonum proprium contrarium divino, et amare

1. Hic q. 109, a. 3, o. — 2. Ibid.

Deum super omnia amore efficaci affective est actus præstantissimum potentiæ sanæ ; continet enim virtualiter totius legis naturalis impletionem, et voluntatem efficit rectam circa omne appetibile. Ergo.

Dico 2° : Homo lapsus non potest sine gratia reparante amare Deum amore efficaci effective, hoc est, adimplere totam legem naturalem quoad substantiam 1.

Probatur ex principiis positis. 1° Homo infirmus non potest ex se præstare opus præstantissimum hominis sani, nisi sanetur. Atqui adimplere totam legem naturalem est opus præstantissimum hominis sani. Ergo.

2° Voluntas aversa a fine non potest esse recta circa omnia media ; ordo enim mediorum pendet ex ordine ad finem. Atqui voluntas hominis peccatoris est aversa a fine, nempe a Deo, ut authore naturali. Ergo.

3° Sunt quædam præcepta quæ homo lapsus servare non potest sine gratia, ut primum et maximum mandatum de dilectione Dei super omnia, ut constat ex conclusione præcedenti : item confessio fidei inter atrocissima tormenta.

< Dico 3° : Homo lapsus, in peccato mortali existens, sine speciali Dei gratia superaddita non potest diu vitare omnia peccata mortalia contra legem naturalem, et omnes tentationes vincere 2. >

Author videtur tenuisse oppositum in II *Sentent.*, dist. 28, q. 1, a. 2, o. Quidam ipsum interpretantur de potentia physica ; sed, textu attente inspecto, verius dicitur cum aliis quod se retractaverit hic in sua *Summa*, cui, utpote ultimo ejus operi, standum est.

Conclusio sequitur ex conclusione præcedenti ; quia, sicut dictum est, homo lapsus non potest sine gratia observare omnia præcepta. Ergo nec vitare omnia peccata mortalia ; peccatum mortale enim nihil est aliud quam transgressio præcepti. Sed et insuper.

1. Ibid., a. 4, o. — 2. Ibid., a. 8, o.

Probatur¹. Ut homo diu vitet omnia peccata mortalia et vincat omnes tentationes, debet habere cor conversum ad ultimum finem, scilicet Deum, et ita firmiter illi inhærens, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando, ab eo separari velit. Atqui homo in peccato existens, non solum non habet cor firmiter Deo adhærens, sed est ab illo aversum, et ad bonum commutabile, ut ad finem, conversum. Ergo.

Dico 4^o: Homo justus cum ordinariis gratiæ auxiliis, sine speciali privilegio, potest vitare singula peccata venialia; non potest tamen diu vitare omnia².

Prima pars est certa³; quia, si homo non posset vitare singula peccata venialia sine speciali privilegio, quod nec datur, nec offertur, ista peccata non haberent rationem voluntarii, nec peccati, aut homo obligaretur ad impossibile.

Probatur secunda pars ex concil. Trid., sess. vi, can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. »

Probatur⁴ 2^o. Quamvis gratia sanctificans sanet hominem quantum ad mentem, remanet tamen corruptio appetitus sensitivi, unde exsurgunt frequentissime inordinati motus contra rationem. Atqui ratio, licet possit reprimere singulos (ex quo habent, ut dictum est, rationem peccati et voluntarii), non potest tamen reprimere omnes, quia dum uni resistere nititur, sæpissime alius insurgit, neque ratio potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos et coercendos. Ergo.

Si ergo consideretur quodlibet peccatum veniale seorsim et secundum se, potest homo cum auxiliis ordinariis gratiæ illud vitare, et cum sic occurrant vitanda, de illis sic vitandis datur præceptum. At, si consideretur unum post aliud, et sic diu continuando, et simul attendatur, ex una

1. Ibid. — 2. Ibid. — 3. Ibid. — 4. Ibid.

parte, vis, multitudo et frequentia tentationum, ex alia parte, infirmitas potentiarum naturalium quæ ex continua pugna fatigantur, fieri non potest, moraliter loquendo, quin homo in aliquo indeterminate deficiat; hæc enim continuatio summam importat difficultatem, ad quam vincendam requiritur specialissima gratia qua arbitrii instabilitas firmetur, sanetur infirmitas, recreetur fatigatio et liniatur fastidium. Et quia hæc impotentia non respicit aliquod peccatum determinate, sed aliquod indeterminate et in confuso, dicitur quod homo possit omnia vitare divisive, id est, quodlibet secundum se et seorsim consideratum, non omnia collective, id est unum post aliud, continuando usque ad ultimum. Ex his solvuntur argumenta a ratione.

Dices: Si homo non possit omnia peccata venialia vitare sine speciali privilegio, quod Deus non est paratus dare, ergo ad aliquod committendum necessitatur. Ergo, illud committendo, non peccat; nemo enim peccat in eo quod vitare non potest, ut ait Aug., lib. III de Lib. arbit., c. 48, n. 50¹.

Resp. Dist. primum consequens. Ergo ad aliquod peccatum veniale committendum vage et indeterminate necessitatur, conc.; ad aliquod particulare et determinatum, nego. Unde pariter nego secundum consequens. Ut enim homini imputetur peccatum, sufficit quod possit quodlibet determinate secundum se et prout se offert hic et nunc vitare, licet ad aliquod vage et indeterminate necessitetur, seu, ut communiter dicitur, licet non omnia collective possit vitare. Sic Christus dixit, Matth., xviii, 7: *Necesse est ut veniant scandala*; sed, quia hæc necessitas est vaga, nec quemquam determinate afficit, merito culpatur qui scandalum præbet².

1. Ibi ponit Aug. quæstionem: « An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? » Respondet: « Peccatur autem, caveri igitur potest. » Quod est intelligendum de quolibet peccato, etiam veniali. — 2. Unde additur: *Verumtamen vix homini illi per quem scandalum venit!*

Inst. 1° : Deus præcipit vitare omnia peccata venialia. Ergo homo potest omnia vitare.

Resp. Dist. ant. Deus præcipit vitare omnia peccata venialia præcepto indistincto a præceptis singulorum, *conc.*; præcepto distincto, *nego.* Cum enim omnia simul non occurrant, nec omnia vitentur nisi vitando singula, frustra adhiberetur præceptum vitandi omnia, distinctum a præceptis vitandi singula.

[*Petes an et cui concessum fuerit speciale privilegium immunitatis ab omni peccato, etiam veniali.*

Resp. Certo concessum fuit B. Marie Virgini, et probabilius nulli alteri.

Probatur prima pars 1° ex concilio Trident. supra cit., ubi, postquam definitum fuit « hominem semel justificatum non posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, » additur : « Quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia. » Ergo.

2° Ex Augustino lib. *de Natura et Gratia*, cap. 36, n. 42, dicente : « Excepta sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. »

3° Ratione. Peccatum, etiam veniale, de fomite peccati ex originali peccato nato oritur. Atqui, cum ab originali peccato B. Maria Virgo in ipsa conceptione sua fuerit præservata immunis, in ea fomes peccati fuit omnino extinctus. Ergo.

Secunda pars saltem *suadetur*. 1° Quia sine sufficienti fundamento nemo est excipiendus a regula generali S. Scripturæ pluribus in locis affirmantis quod nullus est homo qui non peccet. Nullum autem habemus fundamentum, neque in Patribus, neque in conciliis, neque in S. Scriptura, aliquem ab hac generali regula excipiendi, præter B. Virginem. Ergo.

2° Augustinus, respondens Pelagio plures viros et, fœminas, quos nominabat, omnino sine peccato fuisse asserenti, inter quos Joseph Virginis Mariæ sponsum connumerabat,

post verba modo citata addit : « Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc quod iste [Pelagius] dicit, an quod Joannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent, I Joann., I, 8 : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?* An illud humiliter responderent fortasse quam verius? Sed huic [Pelagio] jam placet, et recte placet [quod ipse dicit], « laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. » Itaque, hoc si verum dicerent, haberent peccatum; quod humiliter quia faterentur, veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset. » Quoniam vero nihil de hoc vel illo sancto, v. g., de Joanne Baptista aut de Joseph sponso B. Virginis, definitum fuit, negative vel affirmative, quantum ad omnimodam immunitatem a peccato, idem Doctor, lib. *de Spiritu et littera*, postquam suam sententiam iterum exposuit, prosequitur : « Quin, etiamsi nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus, et tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur et putatur, quantum ego judicare possum, non multum erratur, nec perniciose, cum quadam quisque benevolentia fallitur : si tamen qui hoc putat, se ipsum talem esse non putet, nisi revera ac liquido talem se esse perspexerit. »]

ARTICULUS V

Utrum homo possit se præparare ad gratiam sine gratia?

Pelagiani, negantes peccatum originale, dicebant hominem posse propriis viribus bona opera facere, quibus mereretur primam gratiam. Semi-Pelagiani, admittentes peccatum originale, dicebant posse propriis viribus facere, si non bonum opus, saltem initium boni operis, cujus

intuitu, tamquam ex occasione, Deus conferret primam gratiam. Ludovicus Molina, in *Concordia*, disp. 10, docet bene utenti facultate naturali, Deum nunquam denegare gratiam, non quidem ex merito operis naturalis, sed ex pacto inter Deum et Christum inito, ut facienti quod in se est ex viribus naturæ, infallibiliter detur gratia. Contra quos

Dico : Homo lapsus nihil prorsus facere potest quod ipsum quovis modo disponat ad gratiam, sive actualem sive habituales, nisi auxilio gratiæ actualis præveniatur¹.

Probatur 1º ex Scriptura. Prov., viii dicitur : *Præparatur voluntas a Domino*²; quod passim urget Augustinus contra Pelagianos et Semi-Pelagianos. Apostolo interroganti, *Rom.*, xi, 35 et 36 : *Quis prior dedit illi, et retribuitur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*, posset homo respondere, secundum oppositam sententiam : « Ego prior dedi illi conatum et dispositionem meam, quæ est ex me, et non ex illo. » Item interroganti, *I Cor.*, iv, 7 : *Quis te discernit?* posset respondere : « Conatus et dispositio mea. » *Quid habes, quod non accepisti?* diceret : « Conatum et dispositionem meam. »

Probatur 2º ex concil. Arausicano II, in quo, can. 3, 4, 5, et pluribus sequentibus, usque ad 25, damnantur Semi-Pelagiani, qui dicebant initium fidei et boni operis esse a nobis, et ejus intuitu Deum conferre gratiam, non quod esset meritum gratiæ, sed dispositio tantum, sive condi-

1. Hic q. 109, o; q. 112, a. 3, o. — 2. Textus ille, qualis hic citatur ex Aug., nec in viii *Prov.* existit, nec ullibi in Vulgata reperitur. Alii textus vim parem habentes ab eodem Doctore afferuntur in lib. II de *Peccatorum meritis et remissione*, cap. 18, n. 30, ubi dicit : « Si ergo voluntas aut bona est aut mala, et utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo : alioquin nescio, cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror : *Paratur voluntas a Domino*, et in *Psalms*, xxxvi, 23 : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet*; et quod Apostolus ait, *Philipp.*, ii, 13 : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate.* »

tio, sive, ut ait Cassianus, *Collatione III*, cap. 14, occasio : « Præsto namque est Deus, inquit, occasione tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda. »

Concil. Trid., sess. vi, cap. 6 : « Disponuntur autem, inquit, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. »

Probatur 3º ex Augustino. S. Doctor passim urget contra Pelagianos et Semi-Pelagianos principia sequentia : Primum, quod est etiam omnium aliorum Patrum, in negotio salutis dignationi gratiæ nihil penitus esse subtrahendum; subtraheretur autem aliquid, si dispositio ad gratiam non esset ex gratia. Secundum, Ecclesiam orare Deum, non tantum ut volentes et conantes adjuvet, sed etiam ut ex nolentibus volentes fiant. Tertium, minimam præparationem ad gratiam esse bonam cogitationem, quam nec homo habere potest sine gratia præveniente, juxta illud, *II Cor.*, iii, 5 : *Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*, et plura alia quæ longius foret referre. Sed nemini non notum est, quam acriter S. Doctor exagitaverit ubique Semi-Pelagianos, contententes initium boni operis esse a nobis, et ejus intuitu Deum nobis conferre gratiam.

Probatur 4º autoritate et rationibus D. Thomæ. 1º S. Doctor, *Quodlib.* 1, a. 7, o, dicit : « Ad errorem Pelagianum pertinet dicere, quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio divinæ gratiæ. » Et est contra Apostolum, qui dicit, *Philipp.*, i, 6 : *Qui cæpit in vobis opus bonum, ipse perficiet*. Idque probat duplici ratione.

2º Super cap. x ad *Rom.*, lect. 3 : « Hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se, scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. *Thren.*, v, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* » Idem docet lib. III *Contra gentes*, cap. 149, et pluries alibi. †

[Lib. III *Contra gentes*, cap. 149, dicit Angelicus : « Non

propter hoc datur nobis auxilium divinum, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur... Prævenitur igitur divino auxilio ad bene operandum, magis quam divinum auxilium præveniat, quasi merendo illud, vel se præparando ad illud. » Quod probat quinque rationibus.]

Hanc constantem doctrinam probat S. Doctor, locis assignatis, plusquam decem rationibus. Unam et alteram hic subjicio.

Primam habet in præsentis q. 109, a. 3, ad 1. Principium et finis alicujus effectus debent sic proportionari, quod sint ejusdem ordinis; secundum enim ordinem agentium est ordo finium. Atqui finis dispositionis ad gratiam est supernaturalis, scilicet finis proximus est ipsa gratia, finis remotus ipse Deus, ad quem ut authorem supernaturalem gratia ordinatur. Ergo.

Secunda desumitur ex q. 142, a. 3 cit. Omnis dispositio, tam remota quam proxima, debet habere quamdam proportionem cum forma ad quam disponit: alioquin quomodo ad eam disponderet? Atqui actus mere naturales nullam habent proportionem cum gratia supernaturali. Ergo. — Confirmatur. Omnis dispositio approximat subiectum formæ ad quam disponit, et eam quodammodo exigit. Atqui actus naturales non approximant animam gratiæ, neque eam ullatenus exigunt, cum sit ordinis superexcedentis omnes vires naturæ. Ergo.

Ex his colliges sensum hujus antiqui et vulgaris axiomatis: « Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, » non esse quod, facienti quod in se est ex viribus naturalibus Deus non denegat gratiam ex pacto inito inter Deum et Christum, ut bene utenti facultate naturali Deus infallibiliter conferret gratiam, ut finxit Molina. Hunc enim sensum impugnant argumenta huc usque facta: si quidem, in eo systemate, opus bonum morale foret dispositio ad gratiam, si non ex se, saltem ex lege statuta, ex eaque haberet aliquam proportionem et aliquod jus ad auxilia gratiæ. His adde sequentia:

1° Concilium Arausicanum II, can. 6, damnat eum qui dixerit, « sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, misericordiam conferri. » Conferretur autem, supposito præfato pacto.

2° Quæro quodnam sit istud bonum opus naturæ, cui ea lex annexit gratiam. An observantia totius legis? Sed eam non posse præstari sine gratia probavimus. An observantia aliquorum præceptorum? Sed, ut Augustinus probat lib. I de *Peccat. merit.*, c. 22, et experientia constat, sunt inter infideles et peccatores qui plura legis præcepta observant, suntque minus mali, magis modesti, temperantes, misericordes, quos tamen gratia præterit, dum flagitiosissimos convertit.

3° Juxta Augustinum, inscrutabile est Dei judicium, cur unum trahat, alterum non trahat. At, supposita dicta lege, id non foret inscrutabile, sed ratio facile redderetur, nempe quia iste facit quod in se est ex propriis viribus, non ille.

4° Repugnat Christum meruisse fieri a Patre legem qua destruat ratio gratiæ, qualis foret ista lex. Ea enim posita, gratia datur ex operibus, et sic non est gratia; prævenitur a libero arbitrio, cum debeat liberum arbitrium prævenire; et partes priores dantur homini, posteriores Deo: quæ subvertunt totum systema gratiæ ab Augustino propugnatum.

5° In hac hypothesi currunt inconvenientia de quibus supra, scilicet: homo haberet id quo se discerneret, in quo gloriaretur, et quod non accepisset in ordine ad salutem, nimirum hoc bonum opus naturæ, quod ex stata lege conduceret ad salutem, et cui infallibiliter adesset gratia.

6° Tandem istud pactum nullum habet fundamentum, neque in Scriptura, neque in conciliis, neque in Patribus. Ergo est plane fictitium. Unde Clerus Gallicanus, anno 1700, in comitiis generalibus illud reprobavit, ut « commentum temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura et SS. Patrum traditione, prolatum. »

Aliter itaque intelligi non potest istud axioma, quam intelligit S. Thomas, nempe facienti quod in se est ex gratia, Deum gratiam ulteriorem non denegare.

[Petes 1^o quomodo intelligatur istud definitum contra Pelagianos : « Gratia non datur secundum merita. »

Resp. sic intelligi, ut nulla gratia boni operis ad salutem pertinentis detur propter ullum meritum, sive de condigno sive de congruo, quod ex viribus nostris sine Dei gratia habeamus. Attamen dicendum est, dari aliquam gratiam secundum merita nostra quæ sunt ex gratia. Sic justis secundum meritum strictè sumptum datur augmentum gratiæ et gloriæ. Item omnis gratia, post primam actualem, cui voluntas cooperata fuit, datur secundum meritum nostrum saltem de congruo, nec tamen desinit esse gratia, quia in sua radice est semper gratuita. Et hinc verum est quod dicit Augustinus, *Enarrat. in Psal. LXX*, n. 15 : « Cum præmium venerit, sua dona coronabit [Deus], non merita tua. » Iterum in *Psal. CII*, n. 7 : « Ergo coronat te [Deus], quia dona sua coronat, non merita tua. » Et alibi.

Petes 2^o an homo possit resurgere a peccato sine gratia.

Resp. negative¹. Est de fide definitum. Conc. Arausicanum II dicit, can. 14 : « Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur. » Et can. 19 : « Cum natura humana sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit ? »

Probatur ratione². Resurgere a peccato, non est tantum cessare ab actu peccandi, ut volunt adversarii, sed est hominem reparari ad ea quæ peccando amisit, consequenter liberari a malis quæ per peccatum incurrit. Atqui homo non potest sine gratia liberari a malis et detrimentis quæ per peccatum incurrit. Ergo.

Observandum insuper est, esse aliquam imperfectam vivificationem, seu inchoationem vivificationis, ad quam

1. Hic a. 7, o, et in arg. *Sed contra.* — 2. Ibid. o.

licet non requiratur gratia habitualis, requiritur tamen actualis, ea scilicet qua peccator, priusquam remissionem peccati obtineat et gratiam sanctificantem recipiat, dolet de peccatis propter Deum, ipsum diligere incipit et ad ejus reconciliationem aspirat, de qua imperfecta resurrectione potest intelligi illud *ad Ephes.*, v, 14 : « *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* » Unde jure damnata est hæc propositio Baii, n. 64 : « Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei pœnitentiæ et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere justificatur et palmes vivens in vite Christo efficitur, commentitia est et Scripturis minime congruens. »] †

ARTICULUS VI

Utrum homini justificato necessaria sit gratia actualis ad singulos pietatis actus ?

Conformiter ad ea quæ resolvimus supra de actibus moraliter bonis, præsens quæstio de actibus supernaturalibus, proportionè servata, est resolvenda. Unde

Dico : Homini justificato, præter gratiam habitualemente virtutes infusas ei annexas, necessaria est ad singulos pietatis actus generalis motio Dei ut authoris supernaturalis, eaque sufficit ad aliquos, quæ tamen debet dici aliquo sensu specialis et gratuita. Ut autem diu homo justificatus in illis perseveret, requiritur gratia specialis superaddita¹.

Probatur prima pars ex principio generali Authoris². Quantacumque natura aliqua corporea vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo, ut secundum movens motum a primo. Sicut ergo potentiæ naturales, scilicet voluntas et

1. Ibid., a. 9, o. — 2. Ibid. et a. 1, o.

intellectus, etiam ut informatæ virtutibus acquisitis, quæ dant posse facere actus moraliter bonos, ut de facto faciant, indigent applicari et moveri per motionem generalem Dei ut authoris naturalis; ita eadem potentiæ, ut informatæ gratia et virtutibus infusis, quæ dant posse facere bonos actus supernaturales, ut de facto faciant, indigent motione generali Dei ut authoris supernaturalis.

Probatur secunda pars. Sic se habet gratia sanctificans et virtutes infusæ ei annexæ ad supernaturales actiones, sicut natura et naturales potentiæ ad actiones naturales. Atqui natura, etiam corrupta, potest aliquid opus bonum morale facere cum solo concursu generali ordinis naturæ, absque speciali gratia superaddita, ut dictum est art. 2 superiori. Ergo gratia et virtutes infusæ cum solo generali auxilio supernaturali possunt aliquid bonum opus supernaturale facere.

Patet tertia pars ex dictis a. 1 et 3, § 4, hujus dissert. Quia, quamvis concursus generalis ordinis supernaturalis ad aliquid bonum supernaturale sit debitus naturæ informatæ gratia et virtutibus infusis, sicut concursus generalis ordinis naturalis ad aliquid bonum naturale est debitus naturæ secundum se, quia nempe Deus secundum leges communes providentiæ movet unumquodque secundum suum modum et suam dispositionem; attamen, cum natura, etiam ut elevata per gratiam et virtutes supernaturales, feratur in bonum variabiliter et ab illo sit defectibilis (non enim, ut suppono, est firmata in bono), hinc fit quod, quamvis illi sic elevatæ debeat generalis motio qua aliquando eliciat actus sibi proportionatos, non tamen ut semper et indefectibiliter eliciat. Quod ergo illi individuo detur hic et nunc, et non alteri, est ex speciali gratia.

Probatur quarta pars¹; quia, propter infectionem quantum ad carnem, et ignorantiam quantum ad intellectum, quæ remanent in homine justificato, ut dictum est, difficillimum est illi inter continuos conflictus et ten-

1. Ibid.

tationes, atque in tanta obscuritate, diu perseverare in bono supernaturali, nisi speciali gratia viribus jam habitis superaddita roboretur et adjuvetur.

Et ita eruitur ex concilio Arausic. II, can. 10, in quo sic definitur: « Adjutorium Dei in renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono possint opere perdurare. » Ubi pro utraque perseverantia, finali et diuturna, requiritur speciali gratia. Similiter Trid., sess. vi, can. 22, de perseverantia indefinite loquens, statuit sic: « Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. » >

ARTICULUS VII

Utrum homo in gratia constitutus indigeat speciali auxilio gratiæ ad finaliter perseverandum?

Non agimus hic de perseverantia sumpta pro virtute seu habitu inclinante ad eligendum et proponendum perseverare, neque de ipso proposito perseverandi, sed de ipso actuali exercitio perseverantiæ in bono usque ad finem vitæ, sive ista perseverantia sit diuturna, ut contingere solet in adultis, sive brevis, ut contingit in parvulis statim post baptismum morientibus.

Dico: Ad perseverantiam finalem, sive diuturnam, sive brevem et brevissimam, requiritur speciale auxilium¹.

Probatur 1° ex conciliis cit. art. præcedenti, Arausicano et Tridentino.

2° Autoritate Augustini, qui toto libro *de Dono perseverantiæ* hanc veritatem adversus Semi-Pelagianos propugnat.

3° Qui etiam brevissimo tempore perseverat usque ad finem vitæ, habet vere et proprie donum perseverantiæ.

1. Hic. q. 109, a. 10, o.

Atqui donum perseverantiæ, secundum definitiones conciliorum et Patrum, est ex speciali gratia. Ergo. — Minor patet ex conciliis cit. Item ex eodem concil. Trid., sess. vi, can. 16, et ex Augustino, *de Dono perseverant.*, c. 2, n. 4, a quibus perseverantia vocatur « magnum Dei donum. » Et cap. 17, n. 41 : « Videte, inquit, a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem, quem si dat ante imminens lapsum, faciet hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis... datur hæc gratia. »

4^o Conjunctio gratiæ cum morte est proprius effectus specialis providentiæ, nempe prædestinationis; solis enim prædestinatis convenit, et nulli alteri. Ergo habetur per speciale auxilium.

Petes 1^o in quo consistat istud speciale auxilium?

Resp. hoc auxilium non consistere in aliquo indivisibili, neque eodem modo omnibus dari, sed plura includere et intrinseca et extrinseca. Cum enim donum perseverantiæ finalis formaliter consistat in conjunctione gratiæ cum fine vitæ ex efficaci gloriæ intentione imperata, illam Deus singulari providentia variis modis procurat: quibuscumque accelerando mortem, ne cadant; aliis prorogando vitam, ut resipiscant; aliis subtrahendo pericula et tentationes, aut eas temperando: quæ omnia pertinent ad auxilia extrinseca; aliis in periculis et tentationibus constitutis vires augendo, ut vincant et insuperabiliter atque indeclinabiliter stent in bono usque ad finem, et hæc pertinent ad auxilia intrinseca.

[*Petes* 2^o utrum donum perseverantiæ finalis sit idem ac donum confirmationis in gratia.

Resp. negative; quia donum confirmationis in gratia dat non posse peccare sive mortaliter sive venialiter, secundum modum qui datur. Ad donum perseverantiæ finalis, remanente potentia peccandi, dat tantum non peccare mortaliter usque ad mortem: unde est commune omnibus præ-

destinatis, qui non recipiunt omnes donum confirmationis in gratia.] +

DISSERTATIO IV

DE ESSENTIA ET DIVISIONE GRATIÆ

D. Thomas, qq. 110 et 111.

ARTICULUS I

De essentia gratiæ.

In hoc articulo, quæstio est præcipue de gratia habituali et sanctificante, quæ per antonomasiam appellatur gratia, per quam scilicet constituimur filii Dei et hæredes regni, ad quam reducitur gratia actualis, sicut dispositio ad formam et motus ad terminum, quæque ideo non constituit speciem distinctam a gratia habituali.

Petes 1^o utrum gratia sit donum intrinsecum.

Resp. affirmative¹. Est de fide decisum in concil. Trid., sess. vi, can. 11, contra Lutheranos et Calvinistas.

[Ibi legitur: « Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiæ et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratia qua justificamur esse tantum favorem Dei; anathema sit. »]

Et patet ex Apost., I *Tim.*, iv, 14, dicente: *Noli negligere gratiam quæ est in te.* Et II *Tim.*, i, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te.* Hæc materia redibit dum de justificatione.

1. Hic. q. 110, a. 1, o.